



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

IX. Markgraf Woldemar schenkt der Stadt und den Bürgern zu Eberswalde
das Lichterfeldsche Bruch, am 9. Februar 1319.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54734)

VIII. Markgraf Woldemar legt die Handelsstraße von Berlin und Frankfurt nach Niederfinow über Neustadt-Eberswalde und bestätigt dieser Stadt die Niederlags-Gerechtigkeit, am 30. Oktober 1317.

Woldemarus, Dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, omnibus in perpetuum. Cum nostri debitum exigat regiminis, solerter nostrorum procurare commoda subditorum, Nos ergo defectum ciuitatis nostre Everswalde specialiter in oculis nostre compassionis habentes, ipsi civitati ac civibus ibidem, presentibus et futuris, tali duximus sublevamine consulendum, quod universi currus, qui per stratam, de Frankenforde et terminis adiacentibus, ac de Berlin et terminis quoque adiacentibus, tendentem versus Vinowe inferiorem, consueverunt procedere, de cetero communiter versus Everswalde, civitatem predictam, facient gressus suos. Quicumque vero curruum alias transiens fuerit deprehensus, trium talentorum denariorum Brandenburgensium penam luet, quorum unum cedit civitati, duo vero nobis. Ipsi quoque cives pontem construunt supra aquam Rogose et constructum perpetuo suis sumptibus conservabunt. Preterea Naves omnes, que per ascensum vel descensum Odere in dicta inferiori Vinow ad portum erunt applicature et statum ac moram ibidem facture, pro rebus exponendis et curribus deportandis ulterius per alveum aque Vinowe versus Everswalde cum rebus transibunt et ibidem statum facient, resque exponant curribus deducendas. Omnia etiam et singula sicut in Everswalde de premissis curribus et navibus, que ab ipsis de iure vel de consuetudine in inferiori Vinowe predicta fieri consueverunt. Demum dedimus et per presentes literas damus eisdem civibus ac civitati locum molendini in predicta Vinow possidendum iusto proprietatis titulo ad transitum et meatum liberum de Everswalde in predictam Oderam et in Everswalde de Odera faciendum. Et ut hec nostra gracia dicte nostre civitati data in omni parte sua maneat semper firma, hanc literam super eo dari iussimus, nostri sigilli robore communitam perpetuis temporibus valituram. Testes quoque presentes fuerunt nobilis vir Dominus Gunterus Comes de Keuerenburg, Conradus de Redere, Fridericus de Alvensleue, Droyseco, Slotekow, Hasso et Wedego de Wedele, nostri milites, Hinricus ecclesie Stendaliensis Decanus, Everardus prepositus Stolpensis, Hermannus de Luchowe, nostri capellani, cum aliis fide dignis. Actum et datum in nostra prefencia Boetzowe, Anno domini M. C. C. C. septimo decimo, Dominica ante festum omnium sanctorum.

Nach einer alten Copie.

IX. Markgraf Woldemar schenkt der Stadt und den Bürgern zu Eberswalde das Lichterfelsche Bruch, am 9. Februar 1319.

Ad perhennem rei memoriam. Nos Woldemarus, dei gracia Brandenburgensis et Lusatie marchio, recognoscimus et tenore presentis litere publice profiteamur: Quod quia superiorum proprietas est vtilitati prouidere subditorum et eorundem incommodis obuiare, ad emendationem civitatis nostre in Everswalde dedimus et presentibus literis libere donamus paludem

lichterveldensum civibus nostris de Ewerwolde presentibus et futuris nec non civitati ipsi distinctam et signatam sectionibus in arbores factis possidendam usque ad pontem, qui dicitur mordbrukge, plene proprietatis titulo pacifice et quiete, nichil nobis iuris aut nostris successoribus in palude ipsa vel fundo eiusdem penitus reservantes, Sed hoc excluso, quod ciues de lichterveld presentes et futuri in eadem palude pascua suorum pecorum sine prohibitione qualicumque reserverabunt. Et ne de hac liberali donatione nostra inter posteros aliqua exurgat dissensio vel dubitas, hanc litteram super hoc dari iussimus nostri sigilli robore communitam. Testes vero sunt: droyseko, hennigus de Blanckenborch nostri dapiferi, Conradus de Redere, Redeko marscalcus, Otto de Ghera advocatus noster, milites; Otto venator, noster famulus, Euerardus prepositus Stolpenfis et hermannus de luchow, cum aliis fidedignis. Actum et datum werbelyn, Anno Domini M^o. CCC^o. decimo nono, quinto ydus februarii.

Nach einem alten Copialbuche. Das Original befindet sich im Stadtarchive.

X. Herzog Rudolph von Sachsen bestätigt die Stadt Eberswalde, am 17. Januar 1320.

In nomine domini amen. Rudolphus, dei gratia dux saxonie — Notum — esse volumus tam presentibus quam futuris, quod de maturo nostrorum discretorum consilio ac bona deliberatione adhibita, civitati nostre Everswolde, nec non civibus ibidem commorantibus presentibus et futuris univ[er]sa ac singula jura, pariter et omnes proprietates ac consuetudines, quas predicta civitas, atque ipsi cives predicti, ab eorum quondam dominis, principibus inclitis, recordationis dive ab antiquis temporibus habuerunt, damus et donamus, ac approbando confirmamus, prout in Instrumentis super his confectis plenius continentur, tribuentes sive dantes nichilominus premissis civibus omnes additus pariter ac recessus ac omnes vias in terris quam in aquis atque omnia pascua, gramina et ligna ac cum hoc pontem in loco, qui dicitur Rogose, tenendum, pariter univ[er]sas et singulas proprietates et libertates, quas magnificus quondam Princeps, Marchio Woldemarus Brandenburgensis beate memorie dedit sive tribuit civibus supradictis, perpetuo possidendas, que in ipsius litteris lucidius continentur. Ut autem hec nostra donatio et confirmatio a nostris successoribus non infringatur sed stabilis permaneat, presentes litteras munimine nostri sigilli duximus firmiter roborandas. Testes huius rei sunt Fridericus, Albertus, Ghevehardus et Henricus dicti de Alvensleve, Otto et Henricus, fratres pincerne de Scheyneckendorp, Otto de Roczlawe, Henricus de Rochowe, Mathyas de Bredowe, Loferus, Thydericus Greptitz, Ebele de Brifeck, milites nostri, et quam plures alii fide digni. Actum et datum Everswolde, Anno domini MCCCXX, in crastino Marcelli Pape.

Aus von der Hagen's Beschreibung, S. 246. Buchholz Gesch. V 31.